



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio LXI. De neceßitate Sacramentorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

periculum erroris si forma Græcorum passim vsurparetur à Latinis, potest sub graui obligatione prohibere ne Latinus eam formam in baptismo utatur, vel ne in consecratione panis addat illa verba, quod pro vobis traditur; igitur qui huiusmodi forma utitur etiam absque formali intentione inducendi nouum ritum in Ecclesia, grauius peccabit, quamuis mutatio sit solum accidentalis. Confir. mutatio accidentalis in materia potest esse peccatum mortale; vt si Latinus consecret in fermentato; ergo etiam mutatio formæ accidentalis potest esse graue peccatum, cum possit legi grauius obliganti repugnare: immo Latinus predictis formis vtens, seposita inaduertentia, videtur mortaliter peccare in re graui faciens contra morem Ecclesiæ. Denique omnis notabilis mutatio videtur peccatum mortale continere: quando autem sit notabilis pendet à prudenti iudicio. vide Sotum dist. 1. quest. 1. art. 8. §. si autem scisciteris.

88.
Alias est tantum peccatum veniale.

Repetitio forme per se loquendo est p.m.
89.

Resp. 3. in forma vnam particulam detrahare per se solum est veniale, v. g. in forma consecrationis Eucharistiæ, non proferre particulam, *enimi* in forma baptismi non proferre coniunctionem: sed de his particularibus in singulis Sacramentis dicendum.

Ex his patet responsio ad rationem dubitandi.

Ad hæc potest reuocari repetitio formæ, quæ per se loquendo est peccatum mortale: cum, vt patet ex dictis conclusionibus prima, sit graue peccatum formam reddere inuolidam, secunda autem formæ prolatio sit inuolida. Item super eadem materiâ formam bis pronuntiare continet grauem irreuerentiam.

Potest à peccato excusare dubium quo aliquis heret, num formam legitime pronuntiauerit: quod anxius sepe potest contingere, qui tamen dubium possent deponere si soleant verba formæ distinctè proferre. Potest etiam excusari qui per eadem anxietate in forma vnum vel alterum verbum repetit, existimans quod non satis distinctè illa pronuntiauerit, quamuis & hoc sit vitandum.

QUESTIO LXI.

De necessitate Sacramentorum.

EXPLICATA natura & essentia Sacramentorum, D. Tho. presenti questione agit de eorundem necessitate.

ARTICVLVS I.

Vtrum Sacramenta sint necessaria ad humanam salutem?

1.
Sensus questionis.

NOTANDUM. I. duplicem posse esse sensum questionis in hoc art. propositæ; vel enim questio potest intelligi supposita Sacramentorum institutione; ita vt petatur, an Sacramenta instituta, sint reipsa necessaria ad salutem consequendam? vel potest intelligi præcisa institutione; vt sit sensus, an ad humanam salutem necessarium fuerit Sacramenta instituere? Prior sensus non est à D. Tho. intentus, cum de eo partim quest. 65. partim in singulis Sacramentis sit agendum: sed questio procedit de secundo sensu. vbi

Notandum 2. certum esse non fuisse absolute necessarium Deum instituere Sacramenta, cum in

eius omnipotentia sint infiniti modi, quibus homini gratiam conferre potuerit sine Sacramentorum institutione, & quibus hominis salutem potuerit operari: præsentem ergo articulo solum petitur, num fuerit conuenientius Sacramenta institui, quibus homo ad salutem promoueretur, licet eam aliter consequi potuisset?

Respondet autem affirmatiue: quod ostendit tribus congruentiis. 1. quod homo conuenienter naturæ suæ per sensibilia erudiatur, per quæ deducatur ad spiritualia: congruum ergo fuit Sacramenta signa quædam sensibilia institui, quibus ad spiritualia deduceretur. 2. homo per peccatum se subdidit rebus corporalibus; ergo fuit conueniens vt ad medicinam obtinendam rebus corporalibus subderetur, & ita humiliaretur. 3. per Sacramenta sensibilia præseruatur à noxiis actionibus.

Querunt hic recentiores pro quo hominis statu D. Thom. suam resolutionem intelligat? Aliqui censent intelligere de homine absolute considerato, seu considerata eius naturâ secundum se, & ex vi naturalis conditionis, non verò vt euectâ ad perfectionem status innocentie, neque vt lapsâ: pro qua sententia clare videntur facere prima & tertia ratio: sed videtur ob stare secunda, in qua Sacramenta dicuntur instituta in remedium peccati.

Idcirco alij censent D. Tho. resolutionem intelligi de homine post lapsum: quorum sententia videtur probabilior: quia iuxta illam rationem D. Tho. necessitatem institutionis Sacramenti petit ex culpa, non verò ex nimia propensione ad res sensibiles: iuxta quam secundam rationem alia sunt modificanda, quæ videntur generalius concludere. Confir. D. Tho. non videtur præsentem questionem agere de necessitate Sacramentorum pro eo statu in quo homo nunquam fuit, sed iuxta diuersos statum in quibus fuit reipsa; vt videlicet 1. petat, num homini post lapsum Sacramenta fuerint necessaria? 2. an eidem ante lapsum fuerint necessaria in statu innocentie? 3. reducendo ad statum post lapsum, an posito peccato debuerint ante Christi aduentum institui? 4. an post Christi aduentum?

ARTICVLVS II.

Vtrum etiam ante peccatum fuerint homini necessaria Sacramenta?

CONCLUSIO est negatiua: quam ex eo probat D. Tho. quod rectitudo illius status postulat vt superiora dominarentur inferioribus, vnde non debebat perfici per Sacramentum corporeale. Quæ congruentia vniuersalis conuenit non tantum primis parentibus, qui reipsa in statu innocentie aliquando fuerunt, sed etiam eorundem posteris, si felicem illum statum adepti fuissent, & in eo perseverassent. vnde alij, vt Dominicus Soto dist. 1. quest. 2. art. 2. Suarez in expositione huius art. existimant D. Tho. resolutionem vniuersim intelligi sed etiam tam de primis parentibus, quam de eorundem posteris, si in statu innocentie perseverassent. Sed Caiet. hic, Vasquez dubitatione circa art. & alij probabilius existimant quod solum egerit de primis parentibus quamdiu reipsa in statu innocentie fuerunt, quod ex eo potest ostendi quod initio corporis ita dicat: *Respondeo dicendum, quod in statu innocentie ante peccatum Sacramenta necessaria non fuerunt: & infra dicit, & ideo in statu innocentie homo Sacramentis non indigebat.* qua loquendi forma satis declarat se loqui de statu in quo primi parentes reipsa aliquando fuerunt.

In

In responsione ad 3. docet matrimonium in statu innocentie non fuisse institutum secundum quod est Sacramentum, sed secundum quod est officium naturæ.

D V B I V M.

Virum si Adam non peccasset, naturâ manente integrâ, fuissent instituta Sacramenta?

N VLLI dubium esse potest, quin Deus etiam homine non peccante potuerit Sacramenta instituire, cum eius potentia ad instituenda signa practica quibus homini gratia conferatur, nullo modo ab hominum peccato pendeat: quæstio ergo non mouetur de possibili, sed de facto, quid videlicet verius videatur futurum fuisse etiam Adamo non peccante?

Notandum verò quæstionem intelligi de Sacramentis, quæ re ipsa instituta fuerunt; an scilicet illa, saltem aliqua, fuissent instituta, si natura mansisset integrâ, nec per peccatum à felici innocentie statu excidisset: nam de Sacramentis alijs, quæ Deus potuisset instituire, nihil in alterutram partem cum probabilitate dici potest; cum nulla in alterutram partem superet ratio quidquam colligendi.

Quæstio videtur etiam intelligi de Sacramentis in lege Evangelica à Christo institutis: nam vetera, quæ erant figure nostrorum & valde imperfecta, in eo statu perfectissimo futura non fuissent: vel enim nostra futura non fuissent, & per consequens non debuissent esse eorum figura; vel futura fuissent, & nec tunc cõuenienter instituta fuissent vetera, cum non debeat poni figura quando adest id quod per talem figuram aumbratur. Confir. in lege Evangelica vetera Sacramenta non remanent, eò quod perfectiora successerint; ergo neque in statu innocentie debuissent institui, etiam si nostra in eo statu futura fuissent. His præmissis

Duplex est de præsentī quæstione sententia.

Prior asserit etiam Adamo non peccante, & naturâ in eius posteris manente integrâ, futura fuisse Sacramenta, ea scilicet quæ peccatum non supponunt, nec videntur peculiariter instituta in eius remedium. vi. Eucharistiæ Sacramentum, quod est institutum ad coniunctionem animæ cum Deo. item Sacramentum Ordinis &c. tenet Alanus li. de Sacramentis in genere c. 27. & facillè deduci potest ex ijs quæ tradit Canus relectione de Sacramentis in genere p. 3. quamvis enim potissimè contendat probare in lege naturæ ante Abraham fuisse Sacramenta, nihilominus pleraque eius argumenta etiâ ostendunt Sacramenta fuisse futura in statu innocentie; cum si quid valeant, suadeant Sacramentorum institutionem non pèdere à peccato & hominis lapsu, sed esse cõsentaneam hominis conditioni & ceteri fidei.

Posterior sententia negat. Insinuat D. Th. præsentī articulo: quâ enim solum resoluat de primis parentibus, nihilominus eius congruentia locum habet in statu innocentie, si in Adami posteris perseverasset. Tenent Durandus dist. 1. q. 2. art. 2. Caiet. Sotus art. 2. cit. Vafq. disp. 130. c. 2. & alij. Hæc sententia videtur probabilior. Probatur 1. verius est Adamo non peccante Dei filij non fuisse mandandum, ut initio huius partis à varijs tradit solent: ergo est verius non futura fuisse Sacramenta, cum sine suo authore futura non fuissent.

Probatur 2. in quæstione facti, & quæ est de re pendente à diuina voluntate, id solum prudenter possumus asserere quod ex Scriptura, Patribus, vel Ecclesiæ sensu nobis innotescit: ex his autem principijs non innotescit Sacramenta fuisse futura Adamo non peccante; ergo non possumus id prudenter asserere. Maior probatur; in rebus pendentibus ab alterius voluntate id prudenter tantum debet asseri, quod innotescit & colligitur ex regulis quibus huiusmodi voluntas declaratur; regula autem quibus voluntas diuina nobis declaratur, sunt Scriptura, Patres, & Ecclesiæ consensus. Vnde licet aliquæ rationes in alterutram partem adferri possint, eæ tamen seorsim & per se acceptæ non tam ostendunt quid factum sit, vel futurum esset, quàm quid fieri possit: vnde in rebus arduis & à sola diuina voluntate pendentibus, ex solis rationibus non debet quidquam in alterutram partem concludi.

Minor argumenti probatur: nullo modo colligimus ex Scriptura futura fuisse Sacramenta naturâ manente integrâ, & statu innocentie in posteris Adæ perseverante: quin potius contrarium colligimus, cum Sacramenta sint instituta post hominis lapsum, & sint à Christo instituta, qui venit quærere & saluum facere quod perierat, quique Sacramenta instituit tanquam salutare medicinas contra peccata.

Confir. Christus instituit Sacramenta quibus meritum suæ passionis hominibus applicaretur; igitur illa instituit in remedium contra peccatum. Consequentia probatur, Christus passionem suam ordinauit in remedium peccati, ita ut si non fuisset peccatum, non fuisset passus; ergo quod instituit tanquam instrumentum quo meritum passionis suæ applicaretur, instituit in remedium peccati. Idem est sensus Patrum & Ecclesiæ, quod scilicet Sacramenta sint instituta tanquam salutare medicinarum contra peccatum, & quod per illa meritum passionis Christi hominibus applicetur. Vnde

Probatur 3. sublato motiuo institutionis Sacramentorum, debemus censere ea non fuisse instituenda; atqui si Adamus non peccasset, hoc motiuum fuisset sublatum; ergo. Maior probatur, vtrum diuinum decretum in alijs circumstantijs mansurum esset nec ne, debemus colligere ex motiuo nobis cognito; cum ergo cernimus aliquid fuisse motiuum institutionis alicuius rei, debemus asserere eo sublato decretum in Deo non remansurum.

Dices Deum ex alio motiuo instituturum. Resp. Instantia nos non posse prudenter asserere aliud decretum in Deo futurum, cum de eo nihil in alterutram partem sciamus.

Minor verò probatur, quia iam ostensum est motiuum institutionis Sacramentorum fuisse remedium peccati, & satis cõstat baptismum, poenitentiam, extremam unctionem esse instituta in remedium peccati. De Cõfirmatione idem etiam facillè potest ostendi, cum sit instituta ad liberâ fidei professionem, & ad dandum robur spirituale contra vanum timorem, qui fidei professionem impedire, vel retardare posset. Constat etiam matrimonium erectum ad esse sacramentale, ut per illud concederetur gratia, per quam homo posset præseruari à peccato in vfu carnalis copulæ, & per quam comparti fidem seruare posset. Eucharistia est instituta ut sit spiritualis animæ cibus eandem præseruans ab interitu spirituali, seu vitâ spirituales cõseruans: vnde patet illam etiam dicere ordinem ad peccatû, & per illum ordinem ad peccatum esse institutam.

9.

In ijs quæ pendent à sola diuina voluntate, non debet quidquam ex solâ ratione statui.

10.

Sacramenta instituta sunt vt medicinarum.

Instantia nos non posse prudenter asserere aliud decretum in Deo futurum, cum de eo nihil in alterutram partem sciamus.

11.

Finis singulorum Sacramentorum.

Sacramentum Ordinis quamvis non ita videatur dicere ordinem ad peccatum, verè tamen dicit mediantibus alijs Sacramentis, quorum conficiendum datur potestas per Sacramentum Ordinis, immo in ipso Ordinis Sacramento datur gratia ad debite obeundas functiones, ad quas homo per Ordinem deputatur: unde etià est institutum per modum medicinæ præferantis.

Obiectio 1. Dices 1. etiam perseverante statu innocentie in plurimis, aliqui potuissent peccare & ab illo excidere; ergo quod Sacramenta sint instituta in remedium peccati, nihil obstat quod minus in eo statu instituta fuissent.

Resp. 1. authores prioris sententiae solùm velle futura fuisse Sacramenta, quæ nullum ordinem dicunt ad peccatum, & non velle pro eo statu institui Sacramentum poenitentiae, quod tamen ex argumento conficitur.

Resp. ergo 2. neg. consequentiã, quia Sacramenta instituta pro aliquo cœtu, non debuissent institui si pauculi tantum ex eo cœtu à suo fine excidissent, qui facile potuissent à peccato resurgere.

Dices 2. Eucharistia est instituta ut hominem Deo uniat, qui finis aptissimè potest inveniri sine ullo ordine ad peccatum; ergo &c.

Resp. neg. conseq. & dico illum finem non esse primarium, sed tantum cõsequenter eum, de quo supra diximus. Eucharistia enim principaliter est instituta, ut esset spiritualis animæ cibis per modum alimenti eam cõservans in gratia, & ex cõsequenti Deo uniens: unde sublata prior ratione principali, non suppetit solidum fundamentum, quo asseramus Sacramentum Eucharistiae in statu innocentie institutum.

Dices 3. matrimonium Adami & Eve in statu innocentie fuit Sacramentum cõiunctionis Christi cum Ecclesia.

Resp. non fuisse Sacramentum ad sensum questionis: neque enim illa coniunctio ullam gratiam sanctificantem ex se contulit, neque etiam contulit munditiem & sanctitatem externam, qua mediante significaverit gratiam per nostra Sacramenta conferendam. Et quid quod non fuerit Sacramentum gratiam sanctificantem conferens, de fide est, quod matrimonium in ratione talis Sacramenti fuerit à Christo domino institutum, ut patet ex Conc. Trid. sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere. Non fuisse etiam Sacramentum strictè sumptum, ex alio capite videtur certum cõmuni sensu, cum nullus huiusmodi effectum tribuat matrimonio ante Christi adventum; solum ergo dicitur Sacramentum latè, prout nomen Sacramenti quodcumque signum rei sacræ significat.

Dices 4. Sacramentum Ordinis non respicit primario Sacramenta quæ recensuimus, sed sacrificium, quod etiam fuisset in statu naturæ integræ; igitur etià in eo statu fuisset ordinis Sacramentum. Antec. patet: per Sacramentum Ordinis primario confertur potestas sacrificium offerendi, seu datur potestas circa Corpus Christi verum, & non nisi secundario circa corpus Christi mysticum. Sacrificiū autē est excellentissimus religionis actus, non necessarii supponens peccatum, sed per se cõveniēns conditioni hominis: cum homo cõstas animā & corpore non solum alijs religionis actibus possit Deum honorare per corpus, sed etiā sacrificio, agnoscendo & protestando eum supremum omnium Dominum.

Resp. nostrum sacerdotiū & Sacramentum ordinis non respicere qualecumque sacrificium, sed sacrificium, quo Christi Corpus & Sanguis sub speciebus panis & vini æterno Patri in remissionem

peccatorum offertur, & per quod idem Corpus &c. in ratione Sacramenti ponitur. Unde etià nostrum sacerdotium respicit sacrificium quod ordinatur in remedium peccatorum, & per quod ponitur Sacramentum, quod in remedium peccati sumitur. Quamvis ergo sacrificiū ex sua generali ratione non dicat ordinē ad peccatum, & verisimiliter fuisset in statu innocentie, tamē nostrum sacrificium dicit ordinē ad peccatum, ut patet ex forma consecrationis calicis: item ex forma cõsecrationis panis qua utitur Græci, ut videre licet in liturgia Basilij & Chrysostomi. Videri etiam potest liturgia Divi Iacobi: item Apostolus 1. ad Corinth. 11. Patet etiam ex forma ordinationis sacerdotis.

Dices, saltē ex dictis sequitur in statu innocentie futurum fuisse sacrificium; ergo futurum etiam fuisset sacerdotium, & proinde ordinis Sacramentum.

Resp. neg. conseq. quemadmodum enim ante legem scripta erant sacerdotes absque vlla sacramentali ordinatione, scilicet primogeniti familiarum, (præter paucos qui fortē ex peculiari Dei inspiratione, vel ex iure primogenituræ acquisito sacrificium obtulerunt) ita in statu innocentie fuissent sacerdotes absque Ordinis Sacramento.

Nec obstat quod sacrificium sit cultus maximè publicus, ad quem proinde conveniat publicæ auctoritate aliquos deputari. Primò quia non obstat illa ratio, nullus fuit ante legem scriptam deputatus ad sacrificium per sacramentalem ordinationem. Secundò in eo statu potuissent aliqui publica potestate humana deputari ad hunc cultum publicum Deo deferendum & animo & corpore, & sacrificiū eidem tãquam supremo rerum domino offerendum: cur non eadē dictare possit publica potestate humana ministrum eligi posse, qui nomine cõmunitatis sacrificiū Deo offerat: quod etiam gentiles in suis ignorantiæ tenebris non videntur ignorasse. 3. quod si quis velit hanc deputationē à Deo fieri debere, non inde conficitur non posse aliter fieri, quàm sacramentali ordinatione.

Ex quibus facile intelligitur, quod licet nulla religio sine sacerdotio esse possit, possit tamen esse sine Sacramento strictè sumpto: quia non est necesse aliquem initiari sacerdotio per Sacramenti susceptionem, nec similiter necesse est sacerdotem conficere Sacramentum.

Dices: Aug. lib. 19. contra Faustum cap. 11. ait: *In nullum nomen religionis seu verum seu falsum cogitari homines possunt, nisi aliquo signaculo vel Sacramento visibilium consortio colligentur.* Atqui in statu innocentie homines in aliquam religionem convenissent; ergo. **Resp.** negando consequentiã; & dico Sacramentum apud Aug. eo loco non sumi determinatè pro vulgaribus Sacramentis, sed latiori significatione, prout denotat externum aliquod signum divini cultus, quod signum solet usurpari ab ijs qui in aliquam religionem conveniunt. Confitur quia Aug. id etiam sentit de illis, qui in falsum nomen religionis conveniunt, quos tamen constat carere veris Sacramentis. Et quamvis Aug. in sequentibus agat de veris Sacramentis, non arguit loco citato nomen Sacramenti strictè sumi; quia tantum vult ostendere tam in lege veteri, quàm in novâ fuisse signa, quibus homines in eandem religionem conveniunt, quæ signa fuerunt reipsa Sacramenta. Adde tamen, si quis nomen Sacramenti eo loco strictè sumi contendat, Aug. non dicere *signaculorum vel Sacramentorum*.

Satisfit in

stantia.

16.

Potuerunt

in statu in

nocentie

esse sacri-

cium & sa-

cerdotes,

absque Or-

dinis Sacra-

mento.

17.

Potuerunt

publica au-

thoritate

deputari sa-

cerdotes,

absque Sa-

cramento

Ordinis.

Corollar.

18.

Alteram

stantia.

Aug.

Resp.

Explicat

August.

ARTI-

ARTICVLVS III.

Virum post peccatum ante Christum Sacramenta debuerint esse?

CONCLUSIO est affirmatiua: quia homines debebant ex Christi meritis iustificari, & proinde debebant fidem in eum quibuldam exterioribus signis profiteri.

Aduerte hanc congruentiam solum ostendere in antiqua lege fuisse Sacramenta in latiori significatione, prout Sacramentum idem est quod signum rei sacræ. Ceterum etiam in antiqua lege fuisse Sacramenta in vulgari significatione Scholasticorum inter autores constat, & res est certa, quam supponunt Concil. Flor. in decreto de Sacramentis, & Trid. sess. 7. can. 2. de Sacramentis in genere.

Porrò non solum in lege scripta fuerunt Sacramenta, sed etiam in lege naturæ (de qua etiam intelligitur D. Th. resolutio) in qua constat fuisse Sacramentum circumcisionis.

Virum autem fuerint alia Sacramenta, inter auctores controuertitur, aliqui affirmant, videturque favore D. Th. responsione ad 2. & ad 3. ubi videtur docere sacrificium Melchisedech fuisse Sacramentum. Tenet Canus relectione de Sacramentis in genere, parte 3. Alanus lib. de Sacramentis in genere cap. 28. & quidam alij.

Plerique negant. Sotus dist. 1. quæst. 2. art. 3. post conclusionem. Valquez hic: sed de hoc commodius infra quando agetur de circumcisione.

Interim verius videtur sacrificium Melchisedech non fuisse propriè dictum Sacramentum. Quamuis enim Melchisedech ex peculiari Dei instinctu eidem sacrificium obtulerit, illud tamen non debuit dici à Deo institutum: omne autem Sacramentum à Deo auctore gratiæ debet institui. Neque etiam per illud sacrificium mundities seu externa quædam sanctitas fuit collata, neque Melchisedech in illum finem sacrificauit, sed ad Deum colendum.

Fateor tamen D. Th. satis insinuare fuisse Sacramentum stricte sumptum. Nam art. 3. agit de Sacramento in stricta significatione. Præterea illud confert cum Sacramentis tum legis Moisaicæ, tum legis Euangelicæ: quam sententiam aliqui existimant esse Patrum Africanorum apud Aug. epist. 51. post medium ubi dicitur, Melchisedech prolatum sacramentum mensæ dominicæ nouæ æternum eius sacerdotium figurare. Sed Sacramentum eo loco potest, summo debet accipi in latiori significatione, ut idem sit quod signum rei sacræ in genere, quia sacrificium Melchisedech vocatur Sacramentum mensæ dominicæ, id est signum & figura sacrificij nouæ legis.

ARTICVLVS IV.

Virum post Christum debuerint esse aliqua Sacramenta?

CONCLUSIO est affirmatiua.

Notandum præter hæreticos qui aliqua Sacramenta negarunt, de quibus suis locis, quosdam docuisse in noua lege nulla esse Sacramenta, ut videre est apud Epiphanium hæresi 40. & Theodoretum lib. 1. hæreticarum fabularum cap. 13. siue de ijs qui dicuntur Ascodyti.

Sed conclusio D. Th. est de fide. Patet ex Concil. Flor. decreto de Sacramentis & Trid. sess. 7. primis canonibus. Vide etiam Concil. Later. cap. 1. inter de summa Trinitate, & Extrauag. Ioannis 22. Sancta Romana, de religiosis domibus. Congruentia est quod quemadmodum in antiquo testamento fuerunt Sacramenta representatiua Christum venturum, ita decuerit in nouo esse Sacramenta quæ representant eundem iam venisse. Neque ea signa sensibilia perfectioni legis Euangelicæ repugnant, neque idcirco censetur seruire sub elementis mundi, ad sensum Apostoli ad Gal. 4. nam Apostolus eo loco per elementa mundi intelligit ceremonias Iudaicas inanes, quas alibi vocat egena elementa; non verò intelligit Sacramenta, quæ Christus Ecclesiæ suæ reliquit tanquam vasa gratiæ.

Aduerte, succedentibus Sacramentis à Christo institutis non remansisse Sacramenta legis antiquæ, non quod ea mala fuerint, & à malo Deo instituta ut voluerunt Manichæi; sed quod essent vmbra & figuræ nostrorum, significarentque Christum venturum & futuram eius passionem præsignarent, deseruirentque ad paedagogiam populi rudis. Vnde accedente noua lege & impletis figuris, decuit noua Sacramenta institui. vide August. lib. 19. contra Faustum cap. 11. quæ Sacramenta essent perfectioni legis Euangelicæ consentanea, & passionem Christi iam exhibitam representarent. Vnde idem August. lib. cit. cap. 13. dicit, quod Sacramenta legis veteris sunt abolita, quia impleta; & alia sunt instituta virtute maiora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.

QVÆSTIO LXII.

De principali effectu Sacramentorum, qui est gratia.

NO TANDVM I. quod licet titulus tam

quæstionis quam plurimorum articulorum sit generalis, intelligatur tamen de Sacramentis nouæ legis: quod satis patet ex resolutione articuli primi, & aliorum; & ex eo quod articulo sexto petat, num hæc efficacitas respectu gratiæ competat Sacramentis legis veteris.

Notandum 2. per gratiam hic intelligi eam quam Theologi appellant sanctificantem, & habitualem, & quam Concil. Trid. sess. 6. cap. 7. intelligit per iustitiam, vnicam causam formalem nostræ iustificationis; quæ est physica quædam qualitas permanens, & animæ ornamentum, quo efficiamur diuinæ consortes naturæ, Deoque coniungimur, & eius amici reddimur; siue ea distinguatur à charitate, siue non: de quo alibi disputant.

ARTICVLVS I.

Virum Sacramenta sint causa gratiæ?

RESPONDET Sacramenta nouæ legis esse causas gratiæ. Patet ex Flor. decreto de Sacramentis; & ex Trid. sess. 7. can. 6. de Sacramentis in genere.

Probat D. Th. ex eo quod per Sacramenta nouæ legis homo incorporetur Christo, quod non fit absque gratia sanctificante.

florant.
vident.
Lateran.

Quid sint
el menta
mundi hu-
ius, admen-
tem Apo-
stoli.
Gal. 4.

23.
Sacramenta
legis vete-
ris non fue-
runt mala;
ut Mani-
chæi.

August.

Sensus
quæst.

1.

2.

Resp. affir.
florant.
vident.